



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. IV. De tertio effectu, qui fert privationem divinatorum officiorum,
Ecclesiasticæ sepulturæ, & aliarum rerum Sacrarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

Sacramentum Pœnitentiæ administrat? Negat Richard., quia cum careat jurisdictione, attentat tantum Sacramentum ministrare, sed re vera illud non administrat. Affirmat tamen Suar. disp. 2. sect. 3., & Pal.; quia irregularitas ista imponitur ob delictum fun- gentis, quantum est in se, potestate Ordinis; quod præstat, qui etiam invalide Sacramentum Pœnitentiæ admin- istraret: Aliter neque incurreret ir- regularitatem, quando ex indispositio- ne pœnitentis Sacramentum est nul- lum; quod nemo dixerit.

VI. Quæritur ultimo; Utrum excom- municatus peccet omitendo auditio- nem Sacri die festo, & annuam con- fessionem, & communionem in Pa- schate?

Respondeo cum Avil. 2. part. cap. 6. disp. 4., Medin. Navar., quod si eo fine negligat absolutionem, ne au- diat Missam, aut recipiat Sacramenta præcepta, procul dubio peccet mortaliter; Si vero sit negligens in pro- curanda absolutione, non tamen eo fine, non peccat non audiendo Mis- sam; peccat vero non suscipiendo in Paschate Sacramenta. Non peccat non audiendo Missam die festo, quia Ec- clesia non obligat impeditos; nec vi- detur homo obligatus se disponere ad audiendam Missam tollendo impedi- mentum censura; quia hæc dispositio censetur valde remota: Et idcirco non peccat contra præceptum audien- di Missam infirmus, qui negligens est in procuranda sanitate; aut qui sua culpa in vinculis detinetur, verbi gra- tia, non solvendo debita, ut docet Laym. cap. 2. de Excommunicatione: Contra vero peccat non suscipiendo in Paschate Sacramenta; quia præcep- ta confessionis, & communionis an- nuæ non sunt pure Ecclesiastica, ut præceptum audiendi Missam, sed sunt partim divina; unde quamvis Eccl- esia prohibeat excommunicato accede-

re ad Sacramenta, non tollit tamen obligationem juris divini de recipien- dis Sacramentis: Adde ex Laym., quod præceptum confessionis per se obligat ad mundandam conscientiam, & ad tollenda vincula tum peccato- rum, tum excommunicationis; ergo si excommunicatus negligat ea tolle- re, procul dubio peccat.

ARTICULUS IV.

De Tertio effectu, qui fert privato- nem Divinorum officiorum, Ec- clesiastica sepultura, & alia- rum rerum sacrarum.

I. *Quid veniat nomine divinorum offi- ciorum, quorum celebratio excom- municatis inhibetur? In recitatione privata Horarum nonnisi veniale est socium adhibere, & dicere, Do- minus vobiscum.*

II. *Etiam toleratis vetitum est Missam audire, aut ad illam cooperari dan- do stipendium; sed non toleratus eiiciendus est tempore divinorum of- ficio- rum. Quid si nequeat expelli?*

III. *Num prohibeatur excommunicatis sui rebus sacris?*

IV. *Celebrans coram excommunicato vi- tando quam pœnam incurrat?*

V. *Sepultura Ecclesiastica quibus ex- communicatis sit neganda?*

VI. *Num excommunicatio lata contra sepelientes excommunicatum in lo- co Sacro incurratur a sepeliensibus dumtaxat, an etiam a comitantibus, & a non impediensibus?*

I. **J**uxta tertium effectum excom- municationis prohibetur ex- communicatis, etiam toleratis, divi- na officia celebrare, aut iisdem inter- esse, ex Cap. *Nihil, de Sententia ex- communicat.* Nomine autem divino- rum officiorum veniunt omnes Sacre functiones, quæ ab Ecclesia publice, & so-

& solemniter fiunt, ut sunt Missæ Sacrificium, horæ Canonicae, & omnis publica oratio; Sicut etiam processio, benedictio Chrismatis, consecratio, & similes cæremonia, quæ ex Ecclesiæ, vel Christi Domini institutione a ministris ad id ordinatis solemniter fiunt: Et similiter comitari Sacram Eucharistiam, quando cum pompa defertur ad infirmos. Licitum tamen est excommunicatis ingredi Ecclesiam, & privatim orare, immo & concionem audire; non enim excluduntur ab ingressu Ecclesiæ, nisi quando divina celebrantur: Nec solum possunt, sed etiam tenentur satisfacere privatim o-neri, quod forte habebant recitandi horas Canonicas, ne commodum ex iniquitate reportent. Et ex Suar. disp. 12. sect. 2. veniale tantum esset adhibere socium in recitatione privata horarum, nisi quis ex aliqua necessitate etiam a veniali excusetur. Veniale etiam esset dicere, Dominus vobiscum, quamvis Avil., & Hurt. disp. 5. diff. 2. putent, ne veniale quidem peccatum esse; quia per hæc verba, Dominus vobiscum, non importatur communicatio cum aliis; Sicut nec per illa alia, Venite exultemus Domino; nam dicere absentibus, Dominus vobiscum, non est cum illis communicare, sed illis bene precari, quod non est illicitum.

II. Ex dictis sequitur, quod nullus excommunicatus, etiamsi toleratus, possit missam aut celebrare, aut audire; Immo si non toleratus interesse præsumat missæ, monendus est, ut discedat ex *Clem. Grav. de Sententia excomm.* Si tamen iustus discedere non pareat, novam excommunicationem incurrit, & sive per Clericos, sive per laicos expelli debet, absque tamen scandalo, & percussione. Quod si expelli nequeat, omnes alii recedere tenentur, ne cum illo communicent; & Sacerdos si Ca-

nonem, aut saltem, Qui pridie, inceperit, ut supra diximus, debet Missam cum solo ministro profequi usque ad sumptionem Calicis, & quæ reliqua sunt Missæ, in Sacristia peragere, si detur locus aptus; aliter omitat: Si vero canonem non inceperit, debet Missam inchoatam relinquere: Hoc autem, ut notavit Suar. disp. 12. sect. 1., & Hurt., intelligendum est de Missa, cui excommunicatus moraliter assistit; nam si sit in templo, non causa audiendi Missam, aut divinum officium, nec ad ea attendens, non est ejiciendus, quamvis physice ea audiat. Immo si assistat Missæ Altaris A, non vero altaris B, qui audiunt Missam altaris B, non tenentur illum ejicere, aut Missam relinquere. Eodem modo dum dicuntur Horæ Canonicae, aut fit Processio sollemnis, &c., si excommunicatus non toleratus non discedat, ejiciendus est, aut divinum officium, vel processio omitenda: Quamvis Leand. putet esse tantum veniale, secluso scandalo, audire Missam, aut in eadem Missa communicare cum excommunicato vitando.

III. Quæritur nunc primo; An etiam vetitum sit excommunicatis uti rebus Sacris, verbi gratia, templo, aqua lustrali, reliquiis, indulgentiis, orationibus ab Ecclesia institutis?

Respondeo cum Suar. disp. 12. sect. 3., distinguendum; Nam vel vult excommunicatus his uti intentione participandi fructus ab Ecclesia intentos, videlicet impetrationis, remissionis culpæ, vel pœnæ, &c., & profecto non licet; nec, si his utatur, procedunt, ut supra diximus: Vel vult iis uti, quatenus deservire poterunt privata devotioni, venerationi, ac religioni; & sic licet: Sicut enim licet excommunicato manire se signo crucis, benedicere mensam, adorare Eucharistiam, imagines, &c., ita licitum

est uti aqua lustrali, ut ad Dei privatum cultum, & ad peccatorum dolorem excitetur: Quare non potest excommunicatus ejici e templo Sacro, nisi quando divina officia celebrantur. Circa indulgentias patet, quod non possit eas lucrari; cum a participatione thesauri Ecclesiae sit exclusus.

IV. Quæritur secundo; Quam pœnam incurrat Sacerdos celebrans coram excommunicato vitando?

Respondeo, incurrere solum excommunicationem minorem; si tamen Sacerdos sit exemptus a jurisdictione Ordinarii, incurrit etiam Interdictum ab ingressu Ecclesiae, ut notat Covarr. in Gap. *Alma Mater*, 1. part. §. 6. Irregularitas certe non incurritur, (ut notat Leand., & Pal. disp. 2. punct. 9.) nisi a Sacerdote excommunicato, qui auctoritate sua faceret alium coram se celebrare; quia per fictionem juris celebrare ipse censetur.

V. Circa Ecclesiasticam sepulturam certum est, excommunicatum vitandum sepeliri non posse in templo, nec in cœmeterio; imo neque in loco, ubi consuevit dici Missa, quamvis nulla alia benedictione sacro, ut notat Suar. sect. 4.; Unde graviter peccaret, qui excommunicatum vitandum in loco sacro sepeliret ante absolutionem, saltem in foro Sacramentali datam, etiamsi dederit ante mortem signa contritionis: Imo excommunicationem majorem incurreret, ex *Clement. I. de sepult.*, & Ecclesia remaneret polluta. Peccaret pariter, si Psalmos concineret, crucem deferret, &c. dum cadaver excommunicati vitandi deferretur ad sepulturam; quia hæc quædam communicatio est cum excommunicato, & quidam honor prohibitus illi dari. Communiter tamen Doctores docent contra Avil., hæc duntaxat in non toleratis locum habere; unde potest excommunicatus toleratus in Templo

sepeliri.

VI. Dubium est; Num excommunicationem majorem latam contra sepelientes excommunicatos in loco Sacro incurrant solum hi, qui cadaver propriis manibus in sepulturam intrudunt, & terra obruunt, an etiam qui illud deferunt ad sepulturam, & pompam funebrem comitantur? Navar., Avil., Cajet. putant, solum incurri ab iis, qui propriis manibus sepeliunt, eo quod pœnæ sint striete interpretandæ: Suar. tamen, & Con. docent comprehendere etiam eos, qui sepulturam procurant; quia isti etiam dicuntur sepelire: Reginald., & Ugolin. volunt comprehendere etiam non impediētes; Sylvest. comprehendere comitantes. Prima sententia videtur probabilior, aliæ etiam probabiles.

ARTICULUS V.

De Quarto, & Quinto effectu, qui ferunt suspensionem ab officio, & Beneficio, & inhabilitatem ad Beneficia Ecclesiastica.

- I. Excommunicatus etiam toleratus privatur Beneficio post excommunicationem obiecto, nec potest fructus illius facere suos, quamvis sua excommunicationis sit ignarus.
- II. Num privetur etiam fructibus Beneficii ante excommunicationem obiecti?
- III. Num cujusvis Pensionis excommunicatus sit incapax?
- IV. Probabilius invalide Beneficium tempore excommunicationis accipiat, qui ad illud ante censuram fuerat electus.
- V. Collatio Beneficii facta tempore excommunicationis post absolutionem non revalidatur ipso facto.
- VI. Quod dictum est de Excommunicato, dicendum etiam est de Suspenso, ac de personaliter Interdicto.